

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippo. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quod amor est vestis preciosa animæ, 24

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](#)

CAPVT XXIV.

Quod amor est vestis preciosa animæ.

1. Invitatus ad tuas cœlestes nuptias (dulcissime Domine Iesu Christe , amantis- sime cœlestis spōse) vestem nuptialem de- ferre debet : ne si forte intret sine veste nu- ptiali , ejiciatur jussu tuo extra , & projicia- tur in tenebras exteriores , ubi semper est & erit fletus , & stridor dentium. Ista vestis (o benignissime Domine) est amor & dilectio , quæ excellit omnes alias virtutes. Ista vestis ex preciosis filiis , id est , tuis beneficiis ho- mini collatis , est contexta , & subtili magi- stero facta , & decorata : quæ designatur per tuam tunicam inconsutilem , quæ nec scissa fuit , nec divisa. Quia amor , neque dividi debet , neque scindi. Et qui eum dividunt vel scindunt , pejores videntur quam milites te crucifigentes , qui tuam tunicam dividere noluerunt.

2. Ista vestis nuptialis , Domine Iesu Christe , spōse amoris , summe potens & efficax existit. Quia defendit hominem à frigore cupiditatis , & ad tuum amorem ho- minem inflamat , ipsumque ornat plurimum & venustat. Ista vestis nuptialis sola distinguit filios regni , & perditionis. Quia qui eam desert , regnum tuum intrabit , ut conviva tuus & filius charissimus ; qui vero ea caruerit , etiamsi deserat omnes alias ve- stes , id est , omnes alias virtutes , expelle- tur à regno tuo. Ista vestis operit multitudi- nem peccatorum. Ista vestis commendabilis est

est colore & valore ; est enim deaurata , vel potius aurea , juxta illud : *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato.* Et sic ista vestis ornat animam , quod sine ipso ornatu , indigna est anima cælum ingredi. Ista vestis nuptialis munit hominem , quia fortis est ut mors dilectio. Ejus etiam preciositas patet ex materia. Quia si preciosum sit , quod trahitur ex metallis , gemmis & animalibus , longe preciosius est quod ex te trahitur. Ista autem vestis nuptialis ex te venit , & à te procedit. Ex ea quoque tegimur , vivimus , & ditamur. Qui enim hanc vestem habet , nihil ei deest : & sine ista nihil ei prodest.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe , cælestis sponse , ego miserabilis peccator nudus sum , & cum hanc vestem nuptialem non habeam , non sum dignus ut intrem ad tuas cælestes nuptias , sed ut projiciar in tenebras exteriores. Succurre ergo mihi , piissime Domine Iesu Christe , æterni nuptialis convivii dispensator largissime ; & da mihi tua benignitate hanc vestem gloriosissimam , ut invitatus & vocatus ad tuas semipiternas nuptias , illuc cum veste nuptiali intrem , ibique cum amicis tuis amore tuo perpetuo fruar , te laudem , te admirer , te glorificem æternitatis Regem , & gloriosissimum sponsum , viventem , & regnantem in sæcula sæculorum , Amen.

CA-